Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

18

Sancta iuliana dixit. Confitere mihi cui hominum iniuriam fecisti. Demon respondit. Multorum hominum oculos extinxi. aliorum pedes confregi. alios in ignem misi. alios sanguinem vomere feci. alios laqueo uitam finire feci. alios in suo furore manibus propriis inferri feci. alios per alias penas interire feci. Et ut breuiter dicam. omnia mala que in mundo sunt facta ego ipse feci cum fratribus meis. et alios quos inueni non habentes signum christi decepi. Et cum tanta mala fecissem. nullus umquam me ausus fuit cedere sicut tu. Nullus apostolorum manum meam tenuit. tu autem me ligasti. Nemo martirum excidit me. nemo prophetarum iniurias michi fecit. nemo patriarcharum in me manum misit. Et ipsius filii dei experimentum temtaui in deserto. et feci illum ascendere in montem excelsum. et nichil mihi fecit. et ostendi ei omnia regna mundi. et sic tu me tormentis consumis. O virginitas que contra nos armatur. O iohannes qui contra nos uirginitatem ostendisti. Et hec dicens demon. misit prefectus ut adduceretur iuliana. Et cum duceretur. trahebat secum demonem. Demon autem rogabat eam. Domina mea iuliana. non iam amplius ridiculum de me facias. non possum aliquem postea seducere. patrem meum superasti. me tenuisti. quid aliud amplius facere uis. Dicunt christianos misericordes esse. tu autem ferocissima in me facta es. Et dum talia diceret demon. sancta iuliana trahebat eum per forum. Et protracto eo per forum. piciat eum in loco stercoris. Et dum uenisset in pretorium. facies eius gloriosa uisa est omnibus. Quam respiciens prefectus admiratus est. et dixit ad eam. Iuliana dic mihi quis te docuit talia mala agere. et quomodo tanta et talia tormenta superasti. Beata iuliana ait. Audi impiissime prefecte. Dominus IESVS christus uicit patrem tuum diabolum et demones eius. et misit de sanctis sedibus suis angelum suum qui me confortauit. te autem erubescere fecit. O pessime honoratus. iam te peniteat infelix. quia dominus meus IESVS christus misericors et pius est. et uult omnes homines saluos fieri. Prefectus iratus iussit uenire rotam ferream. et figi in ea gladios acutos. et super ipsam rotam in medio duarum columnarum poni sanctam iulianam. et quatuor milites hinc atque illinc tenebant rotam. ut eam contereret. Trahentibus autem militibus machinam. erat corpus eius inmobile. et custodiebatur famula christi inmaculata. Angelus autem domini descendit et comminuit catastam. et omnia uincula resoluta sunt. Sancta uero iuliana glorificabat dominum. et extendens manus suas ad celum. cum lacrimis cepit orare dicens. Deus omnipotens salus inmortalis. uita omnium credencium in te. qui celum extendisti et terram fundasti. et hominem quem tuis manibus fecisti non deseruisti. paradisi plantator et uineacium arborum inuentor. humani generis gubernator. salus pereuncium. demonstrator nocencium. deficiencium confortator. unum principium solus deus. quem nullus claudere potest. gratias et laudes tibi ago omnipotens domine deus. qui mihi auxilium tuum adhibere dignatus es. esto mecum et libera me ab omni malicia tyranni istius. ut perfecte erubescat cum patre suo diabolo. Et hec ea orante. clamauerunt carnifices dicentes. Potens est deus iuliane. et non est alius deus preter ipsum. Penitet nos prefecte. usque nunc seducti sumus. Fac quod uis prefecte. infer nobis supplicia ignes ac ferrum. tempta malas insidias. et cogitaciones patris tui sathane perfice in nos. quia nos elegimus bonam partem domini nostri IESV christi.